

Serapionem catenae assimilat, dicens: " Equidem sicut qui caput catenae trahit, medium et aliam extremitatem trahit; sic et qui in Spiritum blasphematur, scilicet tertiam personam; et in Filium medium, et in Patrem extremum, idest principium caput catenae tertii discreti inconfusi ordinis divini blasphematur, „ sicut et e converso qui Spiritum credit et recipit Deum, recipit et Filium ejus, a quo est: sicut qui tenet unum caput catenae ad se trahens, medium ejus tenet, et per medium aliud caput apprehendit. Et propter hoc etiam in eadem epistola idem dicit, quod " Spiritum paraclytum dicimus terminum beati et superessentialis divini ordinis, et quod infallibiliter terminat proprium finem in se sua hypostasi, sicut et Pater tenet ipsius ordinis caput et fontale principium imprincipiatus ipse. Medium autem extremitatum ordinis veraciter tenet Filius inter Patrem et Spiritum sanctum. „ et paulo post: Pater a se principio trini ordinis divini per medium Filium genitum terminat ipsius ordinis finem naturali proprietate in tertio spirato Spiritu. „ Cyrillus etiam dicit in lib. Thesaurorum: Spiritum sanctum ex Filio secundum naturam existentem, et ab ipso ad creaturam missum, renovationem Ecclesiae operantem, et terminum sanctae Trinitatis existentem: „ et concludit: Si hoc ita est, Deus ergo ex Deo Filio Spiritus sanctus est. „ Si enim Spiritus sanctus non esset a Filio, non magis Spiritus sanctus esset terminus Trinitatis quam Filius; nec ordo Trinitatis assimilaretur catenae, sed magis triangulo. Hanc etiam rationem tangit Richardus de S. Victore in 4 de Trinitate: ubi ostendit, quod in divinis personis non potest esse nisi una sola persona, a qua non procedat divina persona; nec etiam possunt esse duae personae quae sint ab una sola persona. Utrumque enim praedicto ordini, qui in divinis personis attenditur, repugnaret: quorum tamen utrumque oportet poni, si Spiritus sanctus a Filio non procederet. Hunc etiam personarum divinarum ordinem Cyrillus in lib. Thesaurorum ostendit sub alia similitudine ex auctoritate sacrae Scripturae assumpta, quae Spiritum sanctum digitum Dei nominat in Evangelio, cum dicit: " Si in digito Dei ejicio daemones: „ loco cujus in alio Evangelio dicitur: " Si in spiritu Dei etc. „ Filius autem dicitur brachium Patris: Isa. 51: " Induere fortitudinem brachium Domini. „ Dicit ergo: " Sicut brachium et manus naturaliter a corpore innatum et propagatum existit, et a manu naturaliter fluit digitus; ita a Deo Patre naturaliter Filius brachium, et manus ejus generative a Deo oriuntur, Deus de Deo: et ab ipso filio tamquam a naturali manu patris naturaliter producitur profluens Spiritus sanctus Deus¹ digitus. „ Concludi ergo potest quod Spiritus sanctus

¹ Al Deo.

sit a Filio, per rationes uniformiter a Doctoribus Latinis et Graecis prolatas.

*Quod credere Spiritum sanctum esse a Filio,
est de necessitate salutis.*

Quia vero inter disputantes plerumque contradictio accidit circa aliqua quae non sunt de necessitate salutis; ne aliquis opinetur non esse de necessitate fidei per quam salvamur, credere Spiritum sanctum esse a Filio; ostendendum est per auctoritates Doctorum Graecorum, hoc esse de necessitate fidei et salutis. Dicit enim Athanasius in epistola ad Serapionem: " Juxta quod mandat Apostolus: Haereticum hominem post primam et secundam correctionem devota. Etiam si quos videris cum Elia volantes per aera, et cum Petro et Moyse sicco pede calcantes maria; nisi Spiritum sanctum profiteantur Deum essentialiter ex Deo Filio existentem, sicut et Filium naturaliter Deum genitum aeternaliter ex Deo Patre existentem, ut nos profiteamur: eos non recipias. „ Et iterum: " Blasphemantibus et negantibus Spiritum sanctum Deum esse de natura Dei Filii, non communices. „ Item Cyrillus dicit in libro Thesaurorum: " Necessarium salutis nostrae est confiteri Spiritum sanctum de essentia Filii existere, tamquam ex ipso secundum naturam existentem. „ Item Epiphanius in libro de Trinitate: " Te ipsum alienas a gratia Dei, cum non recipis a Patre Filium, neque Spiritum sanctum a Patre et filio dicis. „ Patet igitur quod nullo modo sunt tolerandi qui Spiritum sanctum a Filio procedere negant.

*Quod Pontifex Romanus est primus et maximus
inter omnes Episcopos.*

Similis autem error est dicentium Christi vicarium, Romanae Ecclesiae Pontificem, non habere universalis Ecclesiae primatum, errori dicentium, Spiritum sanctum a Filio non procedere. Ipse enim Christus Dei filius suam Ecclesiam consecrat et sibi consignat Spiritu sancto quasi suo caractere et sigillo, ut ex supra positis auctoritatibus manifeste habetur. Et similiter Christi Vicarius suo primatu et providentia universam Ecclesiam tamquam fidelis minister Christo subjectam conservat. Ostendendum est ergo ex auctoritatibus Graecorum Doctorum, praedictum Christi Vicarium in totam Ecclesiam Christi potestatis plenitudinem obtinere. Quod enim Romanus Pontifex successor Petri et Christi Vicarius, sit primus et maximus omnium

Episcoporum, canon Concilii expresse ostendit, sic dicens: "Veneramur secundum Scripturas et canonum definitionem sanctissimum antiquae Romae Episcopum, primum esse et maximum omnium Episcoporum." Hoc autem auctoritati consonat sacrae Scripturae, quae inter Apostolos Petro attribuit primum locum tam in Evangeliiis quam in Actibus Apostolorum. Unde dicit Chrysostomus super Matth., super illud, "Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis major est in regno caelorum?" quia "quoddam humanum scandalum conceperunt, quod et in se occultare jam non poterant, et tumorem cordis non sustinebant, in eo quod videbant Petrum sibi praeferri et praehonorari."

Quod idem Pontifex in totam Ecclesiam Christi universalem praelationem habet.

Ostenditur etiam, quod praedictus Christi Vicarius in totam Ecclesiam Christi universalem praelationem obtineat. Legitur enim in Chalcedonensi Concilio, quod tota Synodus clamavit Leoni Papae: "Leo sanctissimus, apostolicus et oecumenicus," idest universalis, "Patriarcha per multos annos vivat¹." Et Chrysostomus super Matth.: "Filius, quae Patris est et ipsius Filii, potestatem Petro ubique terrarum concessit, et homini mortali omnium quae in caelo sunt, dedit auctoritatem, dando eidem claves ad hoc ut Ecclesiam ubique terrarum amplifiet." Et super Joan. in homil. 85: "Jacobum localiter in loco terminat, Petrum autem totius orbis ordinat magistrum et doctorem." Item super Actus Apostolorum: Petrus a Filio super omnes qui filii sunt, potestatem accepit, non ut Moyses in gente una, sed in universo orbe." Hoc etiam trahitur ex auctoritate sacrae Scripturae: nam Petro indistincte oves suas Christus commisit, dicens, Joan. ult. 17: "Pasce oves meas;" et Joan. 10, 16: "Ut sit unum ovile et unus pastor."

Quod idem habet in Ecclesia potestatis plenitudinem.

Habetur etiam ex praedictorum Doctorum auctoritatibus quod Romanus Pontifex habeat in Ecclesia plenitudinem potestatis. Dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro Thesaurorum: "Sicut Christus accepit a Patre dux sceptrum Ecclesiae gentium ex Israel egrediens super omnem principatum et potestatem,

¹ Hac de acclamatione vide superiorem admonitionem praeviam cap. 2, num. 3.

super omne quodcumque est, ut ei cuncta curventur, plenissimam potestatem; sic et Petro et ejus successoribus plenissime commisit;" et etiam: "Nulli alii quam Petro Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit;" et infra: "Pedes Christi humanitas est, scilicet ipse homo, cui tota aeternitas plenissimam dedit potestatem; quem unus trium assumpsit in unitate personae, transvexit ad patrem super omnem principatum et potestatem, ut adorent eum omnes Angeli Dei; quem totum dimisit per sacramentum et potestatem Petro et Ecclesiae ejus." Et Chrysostomus dicit ad consulta Bulgarorum, ex persona Christi loquens: "Ter te interrogo, an ames, an ames, an diligas, quia ter me trepidus et timidus negasti. Nunc autem reductus, ne credant te fratres gratiam et clavium auctoritatem amisisse; quia amas me, coram ipsis id tibi jam confirmo quod meum est plenum." Hoc etiam trahitur ex auctoritate Scripturae; nam Dominus, Matth. 16, 19, universaliter Petro dixit: "Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis."

Quod in aedam potestate quae collata est Petro a Christo.

Ostenditur etiam, quod petrus sit Christi Vicarius, et Romanus Pontifex Petri successor in eadem potestate ei a Christo collata. Dicit enim canon Concilii Chalcedonensis: "Si quis Episcopus praedicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad beatissimum Episcopum antiquae Romae: quia habemus Petrum patrem refugii, et ipsi soli libera potestate loco Dei sit jus discernendi Episcopi criminati infamiam secundum claves a Domino sibi datas;" et infra: "Et omnia ab eo definita¹ teneantur tamquam a Vicario apostolici throni." Item Cyrillus Hierosolymitanus Patriarcha dicit ex persona Christi loquens: "Tu cum fine, et ego sine fine, cum omnibus quos loco tui ponam, plene et perfecte sacramento et auctoritate cum eis ero sicut sum et tecum." Et Cyrillus in libro Thesaurorum dicit, quod "Apostoli in Evangeliiis et epistolis affirmaverunt in omni doctrina Petrum esse loco Dei, et ejus Ecclesiam, eidem dantes locum in omni capitulo et synagoga, in omni electione et affirmatione." Et infra: "Cui, scilicet Petro, omnes jure divino caput inclinant, et primates mundi tamquam ipsi Domino Jesu obediunt." Et Chrysostomus dicit ex persona Filii loquens: "Pasce oves meas; idest loco mei praepositus esto fratrum.

¹ Al. iterum ab eo.

Quod ad eum pertinet determinare quae sunt Fidei.

Ostenditur etiam quod ad dictum Pontificem pertineat quae Fidei sunt, determinare. Dicit enim Cyrillus in libro Thesaurorum: "Ut membra maneamus in capite nostro apostolico throno Romanorum Pontificum, a quo nostrum est quaerere quid credere et quid tenere debemus." Item Maximus in epistola Orientalibus directa dicit: "Omnes fines orbis qui Dominum sincere receperunt, et ubique terrarum Catholici veram Fidem confitentur, in Ecclesiam Romanorum tamquam in solem respiciunt, et ex ipsa lumen catholicae et apostolicae Fidei recipiunt;¹ nec immerito: nam Petrus legitur primo perfectam Fidem esse confessus, Domino revelante, cum dixit Matth. 16: "Tu es Christus Filius Dei vivi." Unde et eidem Dominus dicit: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua."

Patet etiam quod ipse Patriarchis praelatus existat ex hoc quod Cyrillus dicit, quod "ipsius," scilicet apostolici throni Romanorum Pontificum, "soli est reprehendere, corrigere, statuere, solvere, disponere, et loco illius ligare, qui ipsum aedificavit." Et Chrysostomus super Acta Apostolorum dicit, quod "Petrus est vertex sanctissimus beati apostolici throni, pastor bonus." Item etiam hoc patet ex auctoritate Domini dicentis, Luc. 22, 32: "Tu aliquando conversus confirma fratres tuos."

Ostenditur etiam, quod subesse Romano Pontifici, sit de necessitate salutis. Dicit enim Cyrillus in libro Thesaurorum: "Itaque, fratres, sic Christum imitamur, ut ipsius oves vocem ejus audiamus, manentes in Ecclesia Petri; et non inflemur vento superbiae; ne forte tortuosus serpens propter nostram contentionem nos ejiciat, ut Evam olim de paradiso." Et Maximus in epistola Orientalibus directa dicit: "Coadunatam et fundatam super petram confessionis Petri dicimus universalem Ecclesiam secundum definitionem Salvatoris, in qua necessario salutis animarum nostrarum est remanere, et ei est obedire, suam servantes fidem et confessionem."

Sicut autem praedicti errantes contra unitatem corporis mystici peccant, Romani Pontificis potestatem plenariam abnegantes; sic contra puritatem sacri corporis Christi delinquent, dicentes, ex azymo pane corpus Christi consecrari non posse: quod in Graecorum Doctorum auctoritatibus improbat. Dicit enim Chrysostomus super illud Evangelii: "Prima die azymorum:" "Primam diem dicit diem Jovis, in quo incipie-

¹ Al. recipiens.

bant legis cultores pascha celebrare, idest azyma comedere omni expulso fermento. Dominus ergo mittit discipulos suos die Jovis, quam dicit Evangelista primam diem azymorum, in qua ad vespas Salvator comedit pascha. In quo facto etiam per omnia apertissime demonstravit a principio suae circumcisionis usque ad extremam diem paschae, quod non erat contrarius divinarum legum." Patet autem quod esset contrarius, si fermentato pane usus fuisset. Patet ergo quod Christus in institutione hujus sacramenti ex pane azymo corpus suum consecravit.

Sciendum tamen, quod quidam dicunt Cristrum praevenisse diem azymorum propter passionem imminens, et tunc fermentato eum usum fuisse. Quod quidem ostendere nituntur ex duobus. Primo ex hoc quod dicitur Joan. 13, quod ante diem festum paschae Dominus cum discipulis coenam celebravit, in qua corpus suum consecravit, sicut Apostolus tradit 1 Corinth. 11. Unde videtur quod Christus coenam celebravit ante diem azymorum et sic in consecratione sui corporis usus fuerit pane fermentato. Hoc etiam confirmare volunt per hoc quod habetur Joan. 18, quod feria sexta, qua Christus crucifixus est, Judaei non intraverunt praetorium Pilati, ut non contaminarentur, sed manducarent pascha. Pascha autem dicitur azyma. Ergo concludunt quod coena fuit celebrata ante azyma.

Ad hoc autem respondet Chrysostomus super Joannem super illud: "Non contaminarentur etc.:" "Quid est hoc dicere, nisi quia in alia die comederunt pascha et legem solverunt, ut pessimum animi sui adimplerent desiderium in morte Christi? Christus autem non praeteriit tempore paschae diem sanctum Jovis, sed in ipso pascha comedit."

Sed quia hoc non constat, melius potest dici, quod¹ Dominus mandat Exod. 12, festum azymorum septem diebus celebrari, inter quas dies prima erat sancta atque sollemnis praecipue inter alias, quae erat quintadecima die mensis. Sed quia apud Judaeos sollemnitates a praecedenti vespere incipiebant, ideo quartadecima die ad vesperam incipiebant comedere azyma, et comedebant per septem subsequentes dies. Et ideo dicitur in eodem capitulo: "Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam: septem diebus fermentum non inveniatur in domibus vestris." Et eadem quartadecima die ad vespas immolabatur agnus Paschalis. Prima ergo dies azymorum a tribus Evangelistis, Matthaeo, Marco et Luca, dicitur quartadecima die mensis, quia ad vesperam comedebatur azyma, et tunc immolabatur pascha, idest

¹ Al. sicut Dominis.

agnus paschalis; et hoc erat, secundum Joannem, ante diem festum paschae, idest ante quintumdecimum diem mensis, qui erat solemnior inter omnes, in quo Judaei volebant comedere pascha, idest panes azymos paschales, et etiam agnum paschalem.

Et sic nulla discordia inter Evangelistas existente, planum est quod Christus ex pane azymo corpus suum consecravit in coena. Hoc etiam patet quod magis congruit puritati corporis mystici, idest Ecclesiae, quae in hoc sacramento figuratur. Unde dicit Gregorius Nazianzenus de pascha Domini: "Celebremus Domino festum in júbilo, non in fermento veteri malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis."

Non autem propter hoc intendimus quod ex fermentato hoc sacramentum confici non possit. Dicit enim Gregorius Papa in Registro: "Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem; sed ceterae Ecclesiae offerunt fermentatum, pro eo quod verbum patris indutum est carne, et est verus Deus et verus homo. Item et fermentum commiscetur farinae, et efficitur corpus Domini nostri Jesu Christi vivi."

Quod est purgatorium, in quo purgantur animae a peccatis quae non in vita praesenti purgantur.

Diminuitur autem virtus hujus sacramenti ab iis qui purgatorium negant post mortem. Nam in purgatorio existentibus praecipuum remedium in hoc sacramento confertur. Dicit enim Gregorius Nyssenus in sermone de defunctis: "Si aliquis in hac labili vita peccata purgare minus potuit, post transitum hinc, per purgatorii ignis conflationem citius magis ac magis fidelis sponsa sponso dona et hostias in passionis memoriam offert pro filiis quos ipsi sponso verbo et sacramento rei praecclare genuit, poena alacriter expeditur; secundum quod praedicamus dogma veritatis servantes, ita et credimus." Item Theodoritus Episcopus Cyrensis super illud 1 ad Corinth. 3: "Si cujus opus arserit etc." sic dicit: "Dicit Apostolus, quod salvabitur sic tamquam per conflatorium ignem purgantem quidquid intervenit per incautelam praeteritae vitae ex pulvere saltem pedum terreni sensus: in quo tamdiu manet, quamdiu quidquid corpulentiae et terreni affectus inhaesit, purgetur: pro quo mater Ecclesia hostias et dona pacifica devote offert; et sic per hoc mundus inde prius exiens, Domini Sabaoth purissimis oculis immaculatus assistit."

Haec sunt, Pater sanctissime, quae ex auctoritatibus Doctorum Graecorum secundum vestram jussionem excepi et expo-

nenda, et ad confirmationem verae fidei inducenda. Inveniuntur tamen inter praedictas auctoritates quaedam indecentes expositiones interpositae, sicut quod "logos," exponit translator fere ubique "sermonem mentalem," cum secundum usum Scripturae Latinae convenientius exponeret verbum: et "hypostasim," exponit "essentialem personam," quam expositionem sequens aliquando cogitur inconveniens dicere, sicut ubi dicit: "Deus Trinipostases," idest trinus essentialiter personalis: hoc enim est omnino erroneum, quod Deus sit essentialiter trinus. Sufficeret autem pro hypostasi transferre simpliciter personam. Sic enim utimur nomine "personae," in confessione fidei, sicut Graeci nomine "hypostasis," ut dicit Augustinus, licet non sit omnino eadem ratio significandi per nomen. Inducit etiam ad laudem sanctorum Patrum aliqua quae modum puri hominis excedunt, aliquos nominans Patres fidei, quod solius Christi est, a quo secundum Apostolum ad Heb. 2, principium accipit fides enarrandi. Ceteri vero possunt dici Doctores, vel expositores fidei, non autem Patres. Inducit etiam in principio hujus libelli quasdam auctoritates sacrae Scripturae, quae si nude proferantur, non expresse probant processionem Spiritus sancti a Filio sicut quod inducit: "Spiritus Domini ferebatur super aquas." Utitur etiam et ipse aliquibus modis loquendi quos in auctoritatibus sanctorum Patrum invenit, qui, sicut superius dictum est, magis sunt reverenter in dictis Patrum exponendi, quam ab aliis usurpandi: sicut quod in divinis personis sit primum, secundum, tertium, causa et causatum. In suis etiam expositionibus multis impropriis verbis et indecentibus utitur, sicut quod dicit, quod "filius habet proprietatem geminam inter patrem et spiritum, ut dicam, subalternam per modum praedicandi. Prima se habet ad patrem tamquam subjectum ad praedicatum, et secunda ut praedicatum ad subjectum, et ita ad Spiritum sanctum." Quod est erroneum. Item dicit, quod "imago," in Graeco idem est quod entitas secunda, quod omnino indecenter dicitur. Item dicit, quod imago non importat originem; quod est contra Augustinum in lib. 83 Quaestionum. Sunt autem fortassis et alia in praedicto libello quae vel dubia esse possunt, et expositione indigent; sed quae ad fidei assertionem utilia esse possent, ad ea quae premissa sunt, ut credo, omnia possunt reduci.